

vota sua ad deum direxerunt et ingeminantes preces suas cum lacrimis dixerunt ad eum: „Cernis, bone pater, quod locus habitationis nostrae positus sit in medio terrae duricordis et pauperis et nationis pravae atque perversae. Circumdederunt nos undique in gyro raptores et homines impii ad diripiendam nostram substantiam paratissimi. Ergo nisi dominus nobis a facie inimicorum turris fortitudinis fuerit et sub alis suae protectionis nos et nostra conservaverit, iniqua dominalis superpositio pacem et tranquillitatem nostram turbabit et insultus malorum hominum locum nostrum devastabit. Cumque his molestiis infestati fuerimus, divino servitio, cui nos vinculo professionis devinximus, pure et devote, ut dignum est, vacare non poterimus. Obsecramus itaque te, bone pater, per viscera misericordiae Iesu Christi, ut nobis pacem et tranquillitatem et loci huius conservationem tuis sacris precibus obtineas.“ Motus vero his lacrimis fidelis mediator Conradus petentibus ita respondit: „Fratres“, inquit, „mei amantissimi, in quibus mihi semper cor unum et anima una, ego libentissime pro vobis orabo.“ Moxque iste seraphicus homo quasi facula totus ardens conversus est ad dominum et desideria ac vota confratrum suorum cum devotissimis lacrimis evexit ad altissimum. Et dominus videns servum suum orantem et plorantem et lacrimas in maxillis eius inolita pietate ait ad eum: „Haec“, inquit, „verba fratribus tuis denuntia. Dic, ut humilitati praecipue studeant et iugo obedientiae se ipsos submittant. Haec enim duo sunt, quae verbo et exemplo semper docui et ad observandum dilectis meis tradidi.“ Et adiecit: „Ego enim ipse humanari volens propter hominem, quia in matre mea Maria ante omnia placuit eius humilitas, ideo et ipsa humanata est deitas.“ Et iterum: „Ego magister et dominus factus sum obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ergo si praecepta mea servaverint et custodierint ea, ego ipse servabo eos, ego pascam eos. Ponam angelorum meorum custodiam in circuitu eorum et immittam timorem meum in corda dominorum, qui in circuitu vestro sunt, et nihil eis nocebunt. Et in benedictione mea multiplicabitur omnis substantia eorum et pace ac tranquillitate perfruetur omnis possessio eorum.“ Et inde fidelis mediator velut alter Moyses verbula legis divinae brevia quidem in sermone, magna autem in virtute fratribus suis denuntiavit et ad observantiam eorum ipsos fidelissima exhortatione annuntiavit. O quam pium est gaudere de tanto patrono, per cuius orationum suffragia nobis humana et divina plurima collata sunt beneficia. Promissione enim dei suffulti, adhuc infirmi^a respiramus, quod per mediatoris nostri

a) in firma *W*₁, dazu *Overhams Randzusatz*: forte adhuc infirmare speramus.